

Emendationes locorum aliquot Marciani Capellae.

(Continuatae e t. XVIII p. 637 sqq.)

Lib. IIII p. 327.

'Chrysippus cumulet proprium consumat acervum
Carneades parem vim gerat helleboro'.

v. 1 quo modo scriptum Koppius exhibet nemo intellegere potest. nam cum sorites duplicit̄ instituatur aut ita ut cumulando sensim magnus acervus efficiatur, aut ita ut demendo cumulus aliquis ad nihil demum reducatur patet scribendum esse:
'. . . cumulet proprium et consumat . . .'

sed Koppius satis habuit inutilem locorum molem congerere ubi de sorite dicitur cum nemo sit quin optime sciat quid sorites significet.

p. 332 § 332 'Pallas aliquanto concussior iocum emergentis inhibuit'.

Pro hoc equidem scribendum esse iudico: iocos emergentis. nam etiamsi emergere hic acceperis pro edere — quod ne Ovidius quidem Fastorum III 367 nunc quoque tuetur —

tamen non intellegitur quod vulgo legitur. unus enim Bacchus iocos ediderat.

p. 341 § 349. Mirum est editores hanc aequo animo tulisse sententiam :

'Quamvis enim homo esse animal verum sit falsum tamen est inmortalem aut inrationalem esse',

cum pateat vel omnibus codicibus invitis scribendum esse 'quamvis enim 'homo est animal' verum sit falsum tamen est inmortalem aut inrationalem eum esse'. protasim si ita restitueris ut ego restitui simul caussa corruptelae perspicietur.

p. 380. 'Dum . . . (de Dialectica dicitur)

formasve mendas, conprobat quas veritas'.

Hunc locum explicaturus novum Koppius et adhuc inauditum mendandi verbum sibi finxit. sed liberemus latinum sermonem hoc vocabulo rectius locum interpretando. nam menda idem est quod mendum et sic interpungendum

'formasve (scil. congeris), mendas conprobat quas veritas'.
formae illae conclusiones sunt fraudulentae et captiosae.

p. 393 § 436. 'Neque enim hoc nobis adscribit inopia cum redundantes turmae suppetant consequentium; nam absque his qui perturbantes pectora sensusque cunctorum, cognoscentum quoque perfregere subsellia etiam alios habeam qui minutias praceptorum et artis intimae commenta perscriperint, inter utrumque vero columen sectatorum praeniteat Tullius meus qui non solum in foro senatu rostrisque grandiloquae facultatis maiestate tonuerit, verum etiam ipsius artis praecpta commentus libros quamplures seculorum usibus consecrabit'.

In hac sententia nemo facile coniunctivos diductis litteris notatos explicabit. Nam certum et firmum est quod Rhetorica dicit: 'habeo, Tullius praenitet': non magis dubitationi obnoxium quam ex alia cogitatione suspensum. Neque magis perspicitur cur in sententiis relativis coniunctivi positi sint. Manifestum esse iudico stolidum aliquem hominem totum conexum non perceperisse et quos videbat indicativos eos ad cum resipientem in coniunctivos mutasse. quod si quis tam vehementer corrigi quae tradita sunt miretur emendandi audacia librariorum libidinem in quovis scriptore aequiparare debet. in nostro autem quam libidinose librarii grassati sint cum aliis tum his exemplis poterit cognosci: p. 403 § 448 ex his: attenditur — variantur in peioribus factum erat: attendimus — variantur. similiter p. 470 § 556 hanc sententiam, quae est in D: 'ex hoc iudices rerum copiam fugient' ita librarii corruperant: 'ex hoc rebuntur iudices rerum copiam fugienda'. arbitretur aliquis veri esse similius pro nam primitus fuisse et ut tota sententia a cum pependisset; sed hoc

cur mutaverit quispiam nulla caussa excogitari potest, cum eius mutationis de qua ego dixi caussa videatur in promptu esse; praeterea vero ne tum quidem coniunctivi sententiarum relativarum recte sese haberent.

p. 404 § 449 ‘.. si confessus ex facto tunc contra legem fecisse videatur’.

Hoc prorsus non intellego. sententia requirit ut scribatur: ‘si confessus erit factum ..’.

p. 410 § 458 ‘Casus rero culpam eventus exonerat: ut qui ad diem sacrum non occurrerit fluminis incrementis’.

Nego inventum esse qui hanc sententiam probe explicet. et videretur sibi aliquis mendum sic scribendo sustulisse: a c-currerit sed tum et valde displicet ablativus vix ita apud Latinos ponit solitus ut videatur propter praepositionis vices sustinere, neque intellegitur cur omnino currendum fuerit ad sacram diem cum a dvenire sufficeret. itaque veri mihi similius videtur duas excidisse voculas sicque reconcinnandam esse sententiam: ‘qui cum victimis ad diem sacrum non venit cum occurrerit fluminis incrementis’.

p. 411 extr. ‘Hic illud iudicabile posse versari idque esse quod aestimator iusti ratione perpendat, posse in quavis caussa et omnes status exsistere et multae rationes infirmationesque numerosae perindeque iudicationum semina copiosa’.

Miserrime locus a librariis habitus est; nam propter infinitivos a perpendendi verbo pendentes anteriora videntur corrupta esse quoniam nemo intellegit qua de caussa posse versari et idque esse posita fuerint pro potest versari et idque est. ceterum videtur Koppius aut mire neclegens aut plane attonitus fuisse cum hunc locum legebat quippe qui ne reposuerit quidem multas rationes et infirmationesque numerosas.

(Continuabuntur.)

Franciscus Eyssenhardt.